



Geleitschriften
Chemnitzer
Lycealschüler

1

219



Juvenum Egregiorum, Ornatissimorum,
Amicorum Fidelissimorum,



- C. D. Richter, Cottbusiensis,
- A. F. Roehrii, Chemniciensis,
- J. T. T. Seidelii, Reichenhainensis,
- H. A. Bemmanni, Vittebergensis,
- F. L. Bemmanni, Vittebergensis,
- G. F. C. Lindemuthii, Hohenkirchensis,
- C. Ch. Schmidii, Gloesensis,
- C. F. Kretschmarii, Chemniciensis,
- J. Francisci, Helveti,

A b i t u m

E Schola Chemniciensi

i n

Universitatem Literarum patriam

Faustum et felicem

esse jubent

Cives Classis I et II,

interprete

Carolo Friderico Fehre,

Ehrenfridersdorfensi.

Gy 99

Chemnicii, Mense Majo,
MDCCCXVI.

Nunc deflenda dies, qua Vos discedere templo hoc
Pieridum tandem cogunt heu fata maligna!
Dulcia enim pereunt nostrae consortia vitae; —
Ast, nostris quamvis pereant consortia Musis,
Non tamen in cantu hoc nimium illa dolebo, Sodales;
Nam novus expectat Musarum campus et ingens,
Adque novas laudes ducit Vos illa palaestra;
Ad laudes? dicis! multo at sudore parandas!

Magna canenda mihi, quibus ah succumberem et ipse!
Vos nisi monstretis, Musae, vestigia vestra;
Hinc Helicon aperite mihi cantusque docete! —
Difficilem ante canam, rauco sed carmine, laudis
Doctrinaeque viam, quam vix superaverit ullus,
Ni dux praecedat cautusque viaeque peritus.

Fixerat in saxi praerupti vertice quondam
Aeternas Doctrina sibi sedes; at in imo
Ac medio saxum hoc facies horrenda tegebat.
Solis inaccessum est radiis densisque rubetis
Tectum, quae bubo, luctus praenuncius ales,
Et rauci corvi querulis ululatibus implent,
Sed quo deterior radicis montis imago,
Summum culmen eo majore decore superbit.
Florida sunt Tempe, per quorum prata meatu
Lascivo regnat Zephyrus; curvata tumore
Parvo planities et mollibus edita clivis.
Vernus ubique rubor, collucent floribus agri,
Sanguineo splendore rosae, vaccinia nigro
Fulgent, et dulci violae ferrugine splendent.
Arboribus generis diversi ornatus et ora,
Pampinus atque ulmi, venturi praescia laurus,
Serpentes hederæ atque deorum quercus, amica
Regi, cum fagis abies, accommoda cornus
Armis, hic adsunt; minime procul inde lacusque
Panditur et nemorum frondoso margine cinctus,
Vicinis pallescit aquis, ut fabula finxit
Laetos Elysios campos et amoena vireta.
In medioque plagae surgit de marmore structum
Templum, porta ingens, solidoque adamante columnæ,

In templo residet solio *Doctrina* micante,
Purpureis splendens intexto vestibus auro
Magnifice, artibus ingenuis circumdata cunctis.
Comiter huc adventantes haec excipit omnes,
In numerumque refert doctum lauroque coronat.
Verum, ut non cuivis contingit, adire *Corinthum*;
Haud secus et cunctis altum transcendere clivum
Non datur, et *Tempe*, *Doctrinae* grata, videre.
Unica perducit tantum angustissima scala
Per rupes, dumos, per saxa rigentia. Multis
Invius est trames; qui soli scandere tentant,
In mediò recidunt, et prolabuntur in altum,
Ac rari ad culmen veniunt. At strata viarum
Sunt spatiosa duo in montis radicibus imis,
Quae longe lateque patent, multosque videres
Hic incedentes passim rectamque putantes
Se esse viam nactos; sed turpi errore tenentur.
Alter enim trames coecum deducit in antrum,
Tetricum et obscurum, foedum, muscoque virenti
Velatum, qui telluri suspensus ad instar
Magnificorum aulaeorum. Dominatur in illo
Horrida Barbaries, o detestabile nomen!
Veram doctrinam meditatur nocte dieque
Pellere de solio tenebrasque inducere tetras.

Regali se effert pompa haec regina. Creavit
Natura ipsa thronum. Nodoso considet illa
In trunco, membris est atris cincta colubris,
Pellibus aeluri distincta, (o splendida luxu
Vestimenta!). Latus dextrum coeca occupat hujus
Stultitia, atque juvat Musarum et Apollinis hostem
Consilio auxilioque; leves lustrare legendo
Fabellas, charta vix dignas, unica cura est,
In terraque jacent Tacitus, Ciceroque desertus,
Grammatici veteres, nec pauca volumina docta,
Omnia disrupta et lutulenta jacent, pede pressa.
Barbariem saevam hanc perhibent dixisse frequenter;
Absint hae nugae, pedibus culcetis aniles
Fabellas! Callem hunc tamen ingrediuntur et augent
Barbariae regnum multi, quos semita grata
Decipit; Hancce viam vitant alii, atque sequuntur
Sat tritam gratamque viam, quae ducit ad amplas
Illustresque voluptatis sedes, ubi luxus
Ac Veneris regnat rabies malesana nefandae.
Hic quidam sedent dapibus vinoque gravati,
Ac illic alii malesuado ardore tenentur,
Alea delectat quosdam, lusoria charta
Abstrahit a studiis alios, nullusque vacabit
Artibus ingenuis, sed Musis estque manetque

Hostis, qui gressu fallaci hoc tramite pergit.
Felices illos, o! terque quaterque beatos,
Qui nec conantur soli transcendere rupem,
Nec quibus arridet, rapidos ad devia ferre
Gressus, sed potius prudentem rite sequuntur
Ductorem, monstrare viam, qui calleat, altum
Atque ad spectatum Doctrinae ducere templum. —

Sic Vestris coeptis insistere pergite, Amici!
Tendite, quo virtus Vos fataque Vestra vocabunt.
Coelitus, o! missa est vox ista: ora atque labora!
Hunc solum fontem Vos prosperitatis amate.

Jam vocat, o Socii, Vos, Lipsia, summa virorum
Sedes doctorum, Musarum sedula nutrix.
Illuc vera salus Vos, gaudia certa sequantur;
Vivite Vos memores quocunque sub aethere nostrum!
Vita futura, fluet Vobis distincta labore!
Desinimus nunc, fata queri; nam fata volebant,
Auspiciis faustis Vos relinquere moenia nostra,
Et meritis laudem magnamque novamque parare!

Ordo I.

1. J. G. Huth, Goeppersdorf. ✕
2. F. G. Metzner, Chemnic.
3. C. G. Hartlich, Cursdorf.
4. F. A. Franke, Mittelbac.
5. C. F. Fehre, Ehrenfried.
6. C. A. Uhlich, Rathendorf.
7. C. T. Brunner, Brünlos.
8. F. A. Martin, Hennersdorf.
9. C. G. Fischer, Chemnic.
10. H. L. Boettger, Grunhain.
11. A. L. Loewe, Auerswald.
12. F. Hellge, Annaemont.
13. F. C. Steinbach, Pegau.
14. C. W. Klitzsch, Schoenh.
15. F. A. Geiler, Chemnic.
16. S. T. A. Dietrich, Callnbg.
17. C. G. Oehme, Krummherm.
18. F. A. Wilde, Eibenstock.
19. C. Kühnert, Hartmannsd.
20. C. G. Zimmermann, Wiesens.
21. F. E. Hermsdorf, Hartmannsd.
22. C. F. Albani, Chemnic.
23. F. W. E. Neumann, Gohliciens.
24. J. C. B. Meyer, Chemnic.

Ordo II.

1. C. G. Walker, Frankenberg.
2. C. T. Lasch, Mitteldorf.
3. J. T. Heinig, Goeppersdorf.
4. F. Berger, Hartmannsdorf. ✕
5. J. E. Matthes, Chemnic.
6. F. A. Malz, Zwikaviens.
7. E. J. Thierfelder, Stollberg.
8. C. H. A. Voigt, Chemnic. ✕
9. F. G. Schmeisner, Ernstthal.
10. G. F. Vogel, Burgstaedt.
11. C. G. Lohmann, Ottendorf.
12. G. Wimmer, Krummhermersd.
13. C. W. F. Schmiedtgen, Cross.
14. C. H. Dietrich, Chemnic.
15. J. F. Steinelt, Chemnic.
16. C. G. Uhle, Neostadt.
17. D. W. Berthel, Chemnic.
18. M. F. Kreyfsig, Wiesensis.
19. F. G. Viehweger, Zwoenic.
20. A. A. A. F. Baumann, Kargens.
21. G. L. G. Naumann, Drebac.
22. G. G. Koch, Drebac.
23. C. F. Huth, Goeppersdorf.
24. C. E. Rost, Chemnic.
25. C. F. Janzen, Chemnic.
26. C. E. Hülm, Chemnic. ✕
27. F. W. Müller, Olbersdorf.
28. J. C. C. Schüler, Gelenav.
29. J. G. F. Schüler, Gelenav.
30. J. D. Koehler, Goeppersdorf.

is
ns
97
T
J
nic.
a.
itsch.
witz.
ic.
dorf.
Marienberg.
ic.
riedersdorf.
ingen.
nic.
ic.
er.
c.
h.
rnersdorf.
Limbac.
ic.
au.
emnic.
nzehnhayn.
emnic.
ic.
abenstein.
tmannsdorf.

Stadtbibliothek Chemnitz



A 134613 6

